

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1114

**Auteur(s) :** Thomas de Fréauville, Bayeux (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Bayeux (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1238, mars

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Thomas de Fréauville, évêque de Bayeux, donne au chapitre, en pure et perpétuelle aumône, les deux gerbes de la dîme et la grange, avec le patronage et le dépôt, d'Anguerny : 100 sous tournois seront pris sur ces dîmes pour l'obit de son père, 100 sous pour l'obit de sa mère ; le reste sera distribué à son propre obit.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCXXIII, t. 2, p. 44-46.

## Dissertation critique

Mars 1238 (nouveau style). Pâques tombe le 19 avril en 1237 et le 4 avril en 1238.

Texte établi d'après a

Universis præsentes litteras inspecturis, Thomas, divina permissione Baiocensis ecclesiæ minister humilis, æternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra nos, pro salute nostra et antecessorum nostrorum, concessisse et appropriasse, in puram et perpetuam elemosinam, dilectis in Christo filiis capitulo Baiocensi duas garbas tocius decimæ de Aguerni, et ipsum capitulum induci fecisse in ejusdem decimæ possessionem corporalem : ita quod, vivente vicario qui modo deservit in ecclesia dictæ villæ, idem capitulum integre percipiat in omnibus quicquid magister Hervæus in ipsa ecclesia consuevit percipere nomine personatus, residuo in usus vicarii convertendo ; dicto vero decedente vicario seu cedente, alii qui nobis vel successoribus nostris a dicto capitulo, ad quod præfatæ ecclesiæ jus pertinet patronatus, fuerint præsentati et a nobis fuerint instituti, percipient garbam terciam tocius decimæ memoratae cum altalagio et terra elemosinæ, tamen granchia, quæ sita est in terra ejusdem elemosinæ, excepta, quam granchiam capitulo contulimus prælibato ad fructus suæ porcionis decimæ reponendos. Cum autem ipsam vicariam, per mortem seu cessionem vicarii sæpedicti, vacare contigerit, quicquid ratione deportacionis consuevit percipere episcopus in decima seu ecclesia nominatis, ad jus et proprietatem capitulo pertinebit. Ceterum, de voluntate ejusdem capitulo et assensu, ita duximus ordinandum ut de fructibus decimæ supradictæ, die anniversarii patris mei recolendi annuatim in ecclesia Baiocensi, centum solidi Turonenses, et die anniversarii matris meæ, in eadem ecclesia recolendi similiter annuatim, alii centum solidi distribuentur juxta consuetudinem ipsius ecclesiæ canonicis et clericis de choro qui, dictis diebus, in eadem intererunt ecclesia obsequiis eorumdem, toto residuo redditus nominati die obitus nostri similiter dividendo. Hoc ita duximus ordinandum jure archidiaconi loci integro penitus reservato, et tam nobis et successoribus nostris quam eidem archidiacono omni jurisdictione in ecclesia, parochianis et presbitero remanente. Ut igitur præscripta robur

perpetuæ obtineant firmitatis, præsens scriptum sigilli nostri munimine cum appensione sigilli capituli sæpedicti duximus roborandum. Actum anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo septimo, mense marcio.